

[f. 159r PDF](#)

**CAPITULUM II
Incipit epistola beati Leonis pape
de translatione beati Iacobi apostoli
que III kalendas Ianuarii celebratur**

Noscat fraternitas vestra, dilectissimi rectores totius Christianitatis, qualiter in Yspania integrum corpus beatissimi Iacobi apostoli territorio Gallecie translatum est. Post ascensionem nostri Salvatoris ad celos, [f. 156v PDF](#) adventumque Sancti Spiritus super discipulos ab ipsa passione Christi in revolutione anni undecimi, tempore azimorum, beatissimus Iacobus apostolus, perlustratis Iudeorum sinagogis, Iherosolimis captus ab Abiatar pontifice simul cum Iosia suo discipulo iussu Herodis capite plexus est.

Sublatum est autem corpus illius sanctissimi Iacobi apostoli a discipulis suis nocte pre timore Iudeorum, qui angelo Domini comitante pervenerunt in Ioppem ad litus maris. Ibi vero hesitantes ad invicem quid agere deberent, ecce nutu Dei affuit parata navis. Qui gaudentes intrant in eam portantes alumnum nostri Redemptoris, erectisque velis simul cum prosperis ventis, cum magna tranquillitate navigantes super undas maris, collaudantes clementiam nostri Salvatoris, Hyrie pervenerunt ad portum. Ibi pre gaudio cecinerunt hunc Daviticum versum: In mari vie tue et semite tue in aquis multis.

Egressi de navi, deducentes deposuerunt beatissimum corpus in quoddam prediolum vocitatum nomine Liberum donum, distantem a prefata urbe fere VIII milibus, ubi nunc veneratur. Quo in loco invenerunt vastissimum idolum a paganis constructum. Ibi vero circumspicientes invenerunt criptam, in qua erant ferrea instrumenta, cum quibus artifices lapidum erant assueti agere domorum edificia.

Gaudentes igitur ipsi clientuli prefatum idolum diruerunt atque minutatim in pulverem redegerunt. Deinde cavantes in altum posuerunt firmissimum fundamentum, ibique desuper fecerunt parvam arcuatam domum, ubi construxerunt lapideo opere sepulcrum, ubi artificiali ingenio conditur corpus apostolicum. Superedificatur ecclesia quantitate minima que altari ornata divo felicem devoto pandit aditum populo. Post humationem sanctissimi corporis laudes celebraverunt superno Regi, psallentes hos Daviticos versus: Letabitur iustus in Domino et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde. Et iterum: In memoria eterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.

Post aliquantulum vero temporis ab eiusdem apostoli alumpnis in fidei agnitione plebibus edoctis, brevi adolevit fecunda ac [f. 160r PDF](#) Deo multiplicata messis. Inito autem salubri consilio, duo clientuli remanserunt ibi ad custodiendum preciosissimum talentum, beati scilicet Iacobi corpus venerandum, quorum unus dictus est Theodorus, alter vero Athanasius. Alii vero discipuli Deo comite ad predicandum Yspanias ingressi sunt.

Ut premisimus, illi duo discipuli pedissequi pro reverentia illius magistri, dum summo cum affectu prefatum sepulcrum pervigiles indesinenter pervigilarent, iusserunt se post obitum suum a Christianis iuxta magistrum suum, unus ad dexteram illius, et alius ad sinistram sepeliri. Sicque, definito termino vite, nature debitum persolventes, felici excessu spriritum exalarunt, celoque animas gaudento intulerunt. Quos preceptor non deserens egregius, celo terraque secum collocari obtinuit divinitus, stolaque purpurea in etherea curia, cum eisdem discipulis gaudet ornatus corona, miseris se deposcentibus invicto suffragio patrocinator, auxiliante Domino et Salvatore nostro Ihesu Christo, cuius regnum et imperium cum Patre et Spiritu Sancto perhenniter manet in secula seculorum. Amen.
